



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Synodvs Landavensis, Svb Ioseph XXVIII. Ibidem Episcopo, in qua Mouric  
rex Gualatmorican ob violatum refugium sanctorum Dubricii, &c.  
anathematizatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
1034.

SYNODVS LANDAVENSIS,  
SVB IOSEPH XXVIII, IBIDEM EPISCOPO,  
in qua Mouric rex Gualatmoricant ob violatum refu-  
gium sanctorum Dubricii, &c. anathematizatur.

**M**OVRIC rex Gualatmoricant filius Hiugel iratus est  
cuidam potenti suo viro, & venit cum furore nimio  
ad Landauiam, frangendo refugium sanctorum Dubricii,  
Teliaui, & Oudocei, & accepit ab ostio ecclesiae vxorem  
illius viri nomine Seifill, & in praesentia episcopi Ioseph,  
& violato refugio sanctorum, & vulnerato quodam de fa-  
milia episcopi, & ablata vxore, & vi & fortitudine, manda-  
uit pontifex per ecclesias totius parochiae adiacentis eccle-  
siæ Landauiae ab ostio Taratir super ripam Gui usque ad  
ripam Tigui: & adunatis omnibus clericis de maiori gradu  
usque ad inferiorem, & in plena Synodo anathematiza-  
uit regem, potius iniquum mandatorum Dei transgresso-  
rem. Et facto anathemate, & per patriam dilatato, rex  
requisiuit veniam apud Landauiam. In primis offerens se  
redditurum raptam vxorem, & vulneratum virum fa-  
miliarem episcopi pacare muneribus, cum refugii plena  
redintegratione. Et iuncta sibi poenitentia cum data ve-  
nia ad modum culpæ reddidit villam Trefgulich cum  
tribus modiis terræ Deo & sanctis Dubricio, Teliauo,  
& Oudoceo, quæ antea fuerat illorum, & tempore Iu-  
dhail regis Morcannuc filii Athris contemporanei Ou-  
docei episcopi, & cum sua tota libertate, & data commu-  
nione in campo & in siluis, in aqua & in pascuis. De cleri-  
cis testes sunt Ioseph episcopus, Rind sacerdos, Ioseph sa-  
cerdos. De laicis Mouricus rex Caratauc, filius Gulbrit,  
Seifill filius Gisterth, Teudur filius Idguin. Finis illius ter-  
rae est Orpognisma Dircruic, &c. Quicumque custodie-  
rit, &c.